



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

Vita Christi, & Sanctorum extra mundum fuit. 22

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

ritas cor penitus ab eo separet. Nec mirum, si grauetur & tribu-
latur ipsa natura, cum instat passio: dummodo tamen spiritus se
subdat voluntati & ordinationi eius, manet utique in patiente
natura dilectio.

21. *Desolatio habendo cum Christo Iesu.*

Hic itaque pro solatio vnico tibi sit: vbicumq; fueris, & qua-
litercumque tecum transierit, ipsius in te mansionē semper
sitias, & omnia consilia tua in eo permaneant. Gratiam eius &
præsentiam summē caueas violare, quia illo offenso quid pacis
habebis? Alta cogitatio & sensus elatus, amor temporalis & af-
fectus visibilium, & quodcumque vile gaudium de creaturis,
obnubilat cor etiam sanctum: ne videatur Iesus cum Patre in
caelo, aut sub matre in præsepio. Inspida fiunt omnia deuota
Christi mysteria conuertenti se ad exteriora & inania. Affectus
verò affectum vincit: & qui spiritualia sapit, omnia inferiora
propter Christum libenter derelinquit.

22. *Vita Christi & sanctorum extra mundam fuit.*

Anecessit nos forma filij Dei, & secuti sunt eum omnes ex-
ercitus Sanctorū in albis. Vilipensus est à philochristis om-
nis decor exterior sensibilium rerum, aurum & argentū, lapides
preciosi, varius ornatus vestium abundantia diuitiarum, copio-
sus apparatus epularum, voluptas carnis, frequentia clientium,
effrenatio deliciarum: & omne delectabile & commodum cor-
poris non potuit emollire corda Sanctorum, nec inficere nares
eorum, neque seducere oculos eorum, quia florentem mundum
mentis despectu calcarunt: cum scirent profectò celestē finem
habiturum omne gaudium presentis vitæ, & postea in breui se-
cuturum præmium, quod nullo fine claudetur. His tamē om-
nibus irretitus est mundus miserabiliter, his insanit libidini-
bus, his lætatur luti volutabris. Tacere melius est de his, quàm
imunda purgamenta reuoluere: ne coinquinationis suæ pul-
uerem etiam ad secretum mentis hostis iactet, ne tumultus in-
ferat, ne meliora dirimat, ne occasionem alicuius maculæ ex
hac recordatione præbeat, & sustinere non possis.

Apoc. 7.
Spirituali-
bus cura
est etiam
tacere de
mundo.

23. *De quiete cellicole, à turbine seculi.*

Quam bene agis cellicola, quod spreto seculi tumultibus,
confugisti sub vmbraculum Christi, vbi interim repaues
quiete felici. Quam sapienter elegisti latere: quam proficuè co-
hæris soli Deo viuere, & eius oculis tantummodo apparere. Si
Christum & matrē Christi diligis, si amantes Iesum & curren-
tes post eum deuotè sequeris, non erit in te amor & cura car-
nis, neque angustus paupertatis locus, neque labor tædiosus,
neque tristes solitudo tua, neque silentium non iucundum.